



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||IFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

vii. De institutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](#)

De institutionibus.

pellito.

6. *consul-tationibus* Sic & archidiacono, aut alii, si fortè morbo pa-
ralyticō laborans officiū linguae amiserit, coad-
iutor dator, adhibetur.

2. *Presby-trum.* Immo & presbyter cui duo digitū cū medie-
tate palmæ abscissi erunt sacrum ne facito. sane
cæteris sacerdotalibus officiis fungitor.

De institutionibus. Tit. 7.

3. *Ex fre-quentibus* Clerici ecclesiastica beneficia sine consensu
episcopi dicēsanī officialiumve eius qui
hoc de iure possunt ne recipiunto. Si qui taliter
occupata detinent, detinebunt: in eos excom-
municationis sententia recte profertor. ab ea, ni
satisfacient, ne absoluuntor.

6. *Cum re-nissent.* Ecclesiarum enim vacantiū custodia & perso-
narum institutio ad episcopum in sua dicēci-
spectato. Si cui tamen hæc dignitati de consen-
su capituli sui duit: qui eam dignitatem habebit
is eo iure vtitor. Quòd si personæ hæc episco-
pus concesserit: ea defuncta episcopus licet tan-
quam sua retineto. sed & si persona hæc abi-
rassit, idem esto. Dignitati verò concessione fa-
cta, abiurazione personæ nihil iuris utilitatibꝫ
episcopo accedito.

7. *Cum ad nostram.* Is qui ecclesiæ præerit dignitates quarum ad
ipsum donatio pertinebit à seipso aliōve recipi-
re nequito.

5. *Ad de-eorem.* Item nec sanctuariū dei iure hæreditario pos-
sideretur. Episcopi in ecclesiis suis certæ tantum
nationis clericos ne conlocanto, viros literatos

& aliás idoneos, vnde cunque originem duxint,
in illis, & maxumè in maiori instituunto.

Nullus verò in cuiusquam cleri ecclesiis vltra ^{4. Au-}
quam facultates earum sustinebunt clericis inui- ^{thoritate.}
tis instituitor.

Itaque nēc in monasterio monachorum, cle- ^{1. Nō am-}
ricorum, puellarūmve amplius quam quot se ^{plus.}
tolerare de bonis ecclesiæ absque penuria pos-
sident instituunt, suscipiuntur.

Postremò, qua in ecclesia certus canonicorū ^{2. In ecclē}
numerus institutus erit, si qui in eo laici erunt, ^{sia.}
in canonicorum numero ne computantur. hic
de personis idoneis subpletor. taleis, per quos
deo in diuinis officiis per ecclesiasticos ordines
congruè seruiatur, quæruntur.

*De concessione præbendi & ecclesiæ non
vacantis. Tit. 8.*

NVlla ecclesiastica ministeria, seu beneficia, ^{2. Nulla.}
nullæ ecclesiæ alicui antequam vacent con- ^{in prin.}
feruntur, promittuntur. Futuræ successionis ex-
spectatio in ecclesia dei ne esto.

Quinimo nec episcopus primum in ecclesia ^{n. Consti-}
sua præbendum cum vacabit conferendi poter- ^{tutus.}
statem cuiquam dato.

Sed nec in quibus ecclesiis obtinet quis ius pa- ^{16. Cum dē}
tronatus de eis non vacantibus promissiones fa- ^{lecta.}
cito, donationesve earum in alienis manibus po-
nito. quod secus factum erit inritum esto.

Et si quæ charta super promissione huiusmo- ^{13. Ex te-}
di confecta erit: nulla inde petitio esto. ^{nore.}